
# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS DE GANGRAENA ET SPHACELO.

QUAM
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*
D. TIBERII HEMSTERHUIS,
LINGUÆ ET ANTIQUITATUM GRÆCARUM, UT ET HISTORIÆ PATRIÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,
NEC NON
*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *Consensu*,
*& Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis,
ritè ac legitime consequendis,
*Eruditorum Examini submittit.*

ADRIANUS DICTEN, Lugd. Batav.

*Ad diem 29. Augusti 1747. hora locoque solitis.*




*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud JOH. & HERM. VERBEEK, 1747.

VIRO

*INTEGERRIMO*

D. GERARDO DICTEN,

CIVITATIS LEYDENSIS, UT ET RHYNLANDIÆ CHIRURGO, ARTIS OBSTETRICANDI PRÆLECTORI,

PATRI OPTIMO,

IN CHIRURGICIS MANUDUCTORI SUO FIDELISSIMO, OMNI FILIALI AMORE AD ULTIMUM VITÆ HALITUM COLENDO, VENERANDO.

NEC NON

D. EVERARDO DICTEN,

CHIRURGO LEYDENSI, NUNC IN NOSOCOMIO CASTRENSI BELGICO CHIRURGO, (MAJORI VULGO DICTO),

FRATRI SUO DILECTISSIMO.

UT

UT ET

*VIRIS CLARISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXPERTISSIMISQUE MUNERUM SPLENDORE, AC CONSUMMATÆ ERUDITIONIS FAMA CONSPICUIS PER OMNEM TERRARUM ORBEM CELEBRATISSIMIS,*

PRÆCEPTORIBUS MEIS PRÆSTANTISSIMIS, OPTIME DE ME, MEISQUE STUDIIS MERITIS.

D. BERNARDO SIEGFRIED ALBINO, MED. DOCT. PRAX. CLIN. ANAT. ET CHIRURG. PROFESSORI ORDINARIO, COLLEGII CHIRURGICI PRÆSIDI.

D. ADRIANO VAN ROYEN, MED. DOCT. EJUSDEMQUE ET BOTANICES, AC COLLEGII PRACTICI PROFESSORI ORDINARIO, COLLEGII PHARMACEUTICI PRÆSIDI, REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS MEMBRO.

D. HIERONYMO DAVIDI GAUBIO, MED. DOCT. EJUSDEM AC CHEMIÆ ET COLLEGII PRACTICI PROFESSORI ORDINARIO, H. T. DECANO, OLIM TENTATORI, NUNC PROMOTORI SUO.


*Hancce Dissertationem Inauguralem ea, qua par est reverentia,*

D. D. D.

ADRIANUS DICTEN,

AUCTOR.

DIS-



# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS.

## DE

# GANGRAENA ET SPHACELO.

## §. I.



Nter varias corporis humani corruptiones in Chirurgicis obvenientes frequentia & ſaevitie ſumma, non raro lethifera, principem locum tenet Gangraena: partibus ſiquidem inflammatis, ſcirrhoſis, oedematoſis, luxatis, fractis, ruptis, vulneratis, preſſis &c. levi occaſione data ſeſe aſſociat, & plerumque niſi morte ſeparanda. De affectu hoc Thema inaugurale conſcribere decrevi, ut legibus Academicis ſatisfieret. Affectuum externorum, cujuscunque naturæ ſint, experientiam ipſam habeo teſtem, indicem, & magiſtram; faventiſſimam enim nactus occaſionem, dum varios partium externarum affectus,

fracturas, luxationes, tumores, ulcera, vulnera, eorum eventus in ampla mei patris praxi Chirurgica coram intueri mihi contigit, qui vires naturae destruentes, separantes, redintegrantes, necessitatem & potentiam artis, verbo, manu & opere a principio ad finem fideliter ob oculos posuit, quid error aegri, vel Chirurgi, vel neglectus efficiant, severe inculcavit; quibus signis ab aliis affectibus malum hoc discerni queat, etiam in ipso ortu, quid judicandum, praesagiendum, quid, quibus instrumentis, quo modo, qua ratione externe agendum; quid interne ad ferendas naturae in extremo constitutae suppetias exhibendum, quam circumspectissime monuit. Visa & audita cum iis, quae a Clarissimis Praeceptoribus in Collegiis publicis, privatisve edoctus, & quae lectione probatissimorum Chirurgorum hausi, praecepta mihi erunt, quorum vestigiis perpetuo inhaerere uti voluptatis, ita & securitatis erit.

## §. II.

Ordinem Gangraenam descripturo necessitas dictat, nempe, ut

1°. Ipsa Gangraena discribatur, quo ad Causas, modum, quo oritur, effecta in decursu edita, eventum, quae omnia stricta definitione sisti non possunt; accedit, quod sit affectus naturae compositus & saepe a diversissimis causis natus.

2°. Ut exponatur conditio partis affectae, quae primario indicat periculum aut spem, quid in sui & universi corporis bonum agendum sit; caetera ad ea, quae ex conditione partis affectae inventa fuere, referuntur. Neque Cacochymia per totum corpus diffusa, in variis partibus Gangraenam producente; aut defectu vitalium fluidorum, corruptiones partium post se trahente exceptis; in gratiam quippe partium affectarum omnia coetera primario judicata peraguntur.

3°. Ut circumspecte consideretur aegri constitutio, quae respi-

respicit aetatem, sexum, vires vitae, genus: formidabilis Gangraena in Scorbuticis, Senibus, lentior quidem in his, verum ut plurimum insuperabilis; celerior in robustis, exercitatisve, ut suis locis monebitur.

4°. Ut tempestas secunda vel adversa, Coelum seu Atmosphaera regioni propria, coeteraeque res nonnaturales ad examen revocentur, quibus omnibus rite inter se consideratis eventus in specie determinetur.

5°. Medendi methodus cum variet pro natura, mali, partis affectae, causarum, suis locis inseratur, quo modo vita partis, & subjecti totius servari, Gangraena tolli, symptomata praesentia mitigari, imminentia praecaveri possint.

## §. III.

Sequentia ut data ponimus.

1°. Vita consistit in perpetuo motu humorum per vasa & viscera.

2°. Sanitas in integritate eorumdem, non interrupta restitutione substantiae, attritu continuo effluentis, & iis omnibus, quae dicto fini subordinata sunt, ut digestio, secretio, humorum singularium elaboratio, hinc servare sanitatem est servare vitam perfectam & vice versa.

3°. Morbus in recessu a statu naturali, ea vero lege, ut in subjecto aegro, aut parte affecta, sive cui morbus inhaeret, vita quamtumvis imminuta, superstes sit; parti enim mortuae vita non inhaeret, neque morbus.

4°. Mors autem a defectu vitalium fluidorum, integra eorum stagnatione, corruptione, solidorum inertia, immobilitate, destructione, circulatione abolita, oritur. Aliis dicitur exstinctio vitae, separatio mentis a corpore, vel parte quadam; quod enim mortuum est nec mentis aut vitae influxum amplius participat, ut in parte exstirpata, aut alia ratione destructa, veluti in Suppuratione, Gangraena, &c.

5°. Mors naturalis, seu fatum senile veteribus dicitur; quod

quod ſit exſtinctio vel conſumptio calidi innati, hoſpitantis in humido radicali : id Recentioribus eſt defectus motus fluidorum ſubtiliorum per canales minimos jam prae ſenio coalitos, quae ſunt prima & ultima vitae cauſa, qua ablata quies & corruptio.

Mors haec ſucceſſive naſcitur, prout vita ſuis praeſidiis plus minus privatur. Hinc dum Senes ſubito decedunt, non ſubito moriuntur, diu ante mori incepere

*Non mors una venit, ſed quae venit ultima mors eſt.*

6°. Mors ſubitanea dicitur, cum gradus inter vitam & mortem perfectam conceptu citius abſolvit, talis proprie gangraenae finis nunquam eſt, contingit quidem ſubinde ut, ea externe apparente, mors ſubito praeſto ſit, at in internis ante latuit.

7°. Mors lenta, dum vitæ immunitionis per gradus ratio haberi poſſit tam in toto quam in parte, adeoque *Vita*, *Sanitas*, *Morbus*, *Mors* cita vel lenta hiſtoriam Gangraenae abſolvent, ſive illa acutiſſima, ſive peracuta, ſive Chronica.

## §. IV.

Dum liquidum vitale, ſanum, morboſumve fuerit, in arterias, cujuſcumque ordinis illae ſint, ſtagnat cum motu & impetu a tergo naturalem exſuperante, morbus adeſt, compoſitus ex ſtagnatione fluidi, impulſu majori, attritu, & calore praeternaturali, dolore plus minus acuto pro ratione virium impellentium, denſitatis fluidi ipſius, ſenſilitatis partium ſolidarum, vocatur Phlegmone, Inflammatio, Ignis; cauſa hujus proxima & effectus recenſiti ſunt membra morbum immediate conſtituentia, reliqua, quae praeter naturam accidunt, nomine Symptomatum veniunt. Cauſa enim praeternaturalis ſine producto

ducto effectu proprie morbus non eſt , ſed pars: Symptomata inde ſuperenaſcitura, ſive a morbo, ejus cauſa proxima dependeant , ſive non , ut novi morbi conſideranda ſunt.

§. V.

Si fluidum illud §. 4. ſtagnans blandum impetu ſalubrem excedenti, mora, calore , humore blando per vaſa minima adhuc quodammodo libera moto, ſtagnantia ab omni parte irroranti (talis in homine, coeterum ſano praeſto ubivis eſt) ſubigitur , ſolvitur , fluidis miſcetur , vocatur *Coctio*, *Reſolutio*, *Criſis*.

§. VI.

Dum vero idem illud liquidum ſtagnans blandum quidem , ſed impetu inſigniori per vires vitae ſubactum una cum vaſculis continentibus , ut plurimum circa quartum diem, lente mutatur in liquidum ſpiſſum , blandum , album , inodorum , laeve (niſi in partibus glanduloſis fuerit , in iis ſemper viridiſcens vidi) mutatio haec , ſive deſtructio ſubſtantiae, *Suppuratio* & liquidum Medicis pus bonum , pus laudabile dicitur.

Eſt lenta vitae exſtinctio in parte inflammata , quatenus in pus convertitur. vide §. 3. No. 4.

§. VII.

At ſi liquidum illud ſtagnans corruptum , acre factum, vel impetu violentiori communicato vaſa ſubito diſrumpat , exedat ſubſtantiam , fibras , arterias , venas , nervos deſtruat , ut motus vitalis ex integro ſuffocetur , intercipiatur , contenta effuſa mora , calore & motu vicinorum, ut & inteſtino jam ante in actum deducto , putreſcant , vim rodendi , diſſolvendi , magis magisque deſtruendi ac-

quirant, vicina indomabili pernicie instar ignis depascant, praesto est affectus in foro Medico Gangraena dictus, ratione tam temporis, quam rapacitatis acutissima; lenta autem dum adest virium defectus & fluidorum, mutabilitas minor, ut in Senibus citra inflammationem, item de Cancro, de quibus infra.

## §. VIII.

Pars dictis caussis destructa, sensu & motu vitali destituta Sphacelus vocari consuevit, dico vitali: contingere enim potest, ut motus in parte sphacelata supersit, dum tendines robustiores magis resistentes nondum sint dissoluti, licet illi cum circumpositis mortui, modo venter musculi, cujus productio sunt, adhuc vi contractili gaudeat, tales sunt tendines pedis, validissimorum musculorum Cruris, Solaei, Gastrocnemii &c. Gangraenam & Sphacelum Boerhav. sequenti tenore describit.

*Vocatur autem grangraena ea partis mollis affectio, quae abolito influxu vitalis humoris in arterias, effluxu per venas in mortem tendit, sed Sphacelus ea, quae jam in tota parte omnem vitalem actionem perfecta morte destruit, superstite in reliquis vita.* Aph. 419. & 20.

Descriptio haec sistit progressum gangraenae (in quo fere tota consistit) utpote conversionem partis viventis in mortem; modus autem, quo haec nascatur, sub iis vocabulis: *in mortem tendit*, delitescit, quem ita concipimus.

Pone mille arterias esse inflammatas, quousque harum nulla destruitur cum corruptela fluidi in foetidum, acre liquamen, aut magma putridum, simplex erit inflammatio sine gangraena & sphacelo, etiamsi ad summum gradum pervenerit, & increscere haud amplius possit, quin succedat alius morbus, ut Suppuratio aut gangraena, adeoque meo judicio minus recte a quibusdam definitur, quod sit summus gradus inflammationis. At si unica harum mille arteriarum rupta humorem contentum effundat,

aut

aut cum contento corrupto omnem vitalem conditionem amiserit, haec dicenda mortua, sive mors in parte minima (§. 3.) interiit enim vita ejus, seu tetendit ad non esse; haec abolitio Sphacelus simplex, seu similaris dici potest, qui ob simplicitatem sui indicia non praebet, dum incrementum cepit, vicina, ut jam monitum, depascit, adest status, quem proprie Gangraenam vocare audemus.

Quo nunc plures canales abolentur, destruuntur, eo gangraena extensive major. Mors enim eo major inter causas vitae est. Rursum pone ex mille centum emortuas, erit causa mortis ad causas vitae, ut unum ad decem; si ponis nongentas erit, causa mortis ad causas vitae, ut decem ad unum. Cum effecta respondeant suis causis, erit mors ad vitam, ut causa mortis ad causas vitae. Quousque in parte affecta aliqua vasa quamtumvis pauca, & in opere suo languida, fluida vitalia transmittunt, eousque persistit gangraena, qua increscente, decrescit vita ad interitum usque, nisi vita ipsa terminum, aut Medicina obicem ponat.

## §. IX.

Definitur quidem Gangraena, quod sit affectus partis mollis in mortem tendentis; Sphacelus vero, quod sit mors ad ossa usque, quod sensu eminentiori ob frequentiam intelligendum est; prostant enim casus, ubi ossa ipsa in Gangraenam & Sphacelum conversa fuere, & in liquamen putridum defluxere, non quidem mollia, ut in infantibus, pueris, aut tenuia, ut cavernosa narium ossa, unguis, aut porosa, cellulosa multa pinguedine facile corruptibili referta, ut ossa juxta articulos &c. verum solidissima hominis adulti saevitie rapacissima & incoërcibili ignis adinstar, ut pereleganter canit Ann. Lucanus Pharsel. libr. IX. vide infra §. 12. N°. 4. in Comm. Van Swieten citato. Casus ejusmodi habetur in Miscell. Curiosor. Decur. 3. Ann. 4. ubi puella 20 annorum, urente gelu, pedibus nudis super pa-

vimentum lapideum incesserat, pes corripi 1°. inflammatione, febre, calore, dolore, siti; mox insequi, in pede alterutro Gangraena cadaverosa, pedissequo Sphacelo. Puella ista, cum esset paupercula, artis, auxilium recusando malum fato reliquit, quod ad genu usque citato gradu proserpsit, non modo robustos surae musculos, tendines, armillas, cartilagines, vasa, cutim, verum & tibiam & fibulam; ossa illa crassa, solidissima, totum corpus fulcientia solvit, putrefecit, ita ut pes integer non procul a genu, ac si serra abscissus esset, dilapsus fuerit, nec malo ulterius proserpente, itaque misera sponte natura sanata, operibus domesticis obeundis superstes vixerit. Casus alius Gangraenae & naturae efficaciam sistens habetur in Comm. van Swieten ad Aph. 460. ubi Gangraena pedes militis in lapsu ad rupem collisi luxatos & fractos occupaverat, natura sine artis auxilio, Sphacelo inde supra talum nato, limites fecit, mortuumque a vivo separavit. Similem casum vidi apud Patrem in brachio, ubi natura Sphacelo proserpenti limen prope articulum humeri cum scapula fecerat. Alii mirabiles casus ad Aph. 423. Pag. 748. recensentur. Homini in febre acuta continua unius noctis spatio siderabatur extrema pars dextri pedis, & postea decidebat, homine tamen superstite manente; simul enim ac morbi malignitas hanc partem occupaverat, cessabat febris & redibat reliquo corpori sanitas. Ex Tulpio exemplum ibidem occurrit, Vetulae septuagenariae brachium una nocte Gangraena & Sphacelo correptum facto initio ad commissuram humeri ad extremos digitos usque nigrum, exsiccatum, torridumve decidit. Plurima inde discimus

1°. Ossa ut inflammationi suscipiendae apta, ita data occasione a Gangraena & Sphacelo immunia non esse. Gaudent enim vita communi.

2°. Fluida dum in vivente putrescunt, evadere menstruum igne, & quovis arte Chemica parabili, nec aquis stygiis exceptis, potentius, solvens omnium partium cohaesionem, ut ex solido duro, albo, molli, rubro flavo, pellucido

lucido, blando fluido, fiat magma putridum, nigrum foetoris horrendi, intolerabilis.

3°. Naturam esse sapientissimam Medicatricem, Chirurgum, dum sine igne & ferro mortuum a vivo separat, vasa sine ligaturis stringit, haemorrhagias praecavet, arcet, & sine medicamento interno, aut externo, arte parato consolidat, proprio balsamo, & motu requisito omnia peragens, sibi in multis sufficiens. Hippocrates & Virgilius felicem pronunciant, qui noverit rerum causas, felicior is, qui insuper habet naturam faventem, seu medicatricem, quae paucis a se indicatis indiget, qua inerte, iners omnis medela, *natura repugnante nihil Medicina proficit Cels. libr.* 3. *cap.* 1.

## §. X.

Ne videamur rarissimorum casuum favore inducti naturae laesae viribus nimium tribuere, itaque aegro serius tempestivis, summisque remediis, quae in extremis adhibenda ars praecipit, consulere; sequentia ex Comm. van Swieten ad Aph. 430. inserere visum est, ubi exemplum, Gangraenam sine ullis signis praegressis, tam internis quam externis pedem mulieris sanae corripuisse, subito ad genu & superiora adscendisse, in Sphacelum mortiferum abiisse, exstirpationem paulo serius institutam irritam fuisse, quae tempestive adhibita spem salutis facere potuisset, quemadmodum de La Motte, traité complet de Chirurgie Tom. III. apud van Swieten Comm. Aph. 422. opere & successu confirmat tenore sequenti. Dum profundum puteum mundare vellet famulus Julio mense, summum frigus percepit, simulque dolorem atrocissimum in magno pedis sinistri digito, qui paulo post ad malleolos adscendebat, tota pars haec vero Sphacelo erat corrupta, & post horae spatium adscenderat, & procul dubio hominem sustulisset, nisi subito exstirpatio facta fuisset. Plurima similia funesta exempla ex praestantissimis Practicis collecta sistit Manget. Tom. Chi-

rurg. titulo Gangraenae. Nimis longum foret, casus, quos ipse vidi & ex Patre audivi, hic recensere; sequentes cum maxime ad rem faciant praetermittere non possum.

*Concurrentes naturae & artis vires exemplo tristi quidem, sed illustri indicare lubet. Infans cujusdam militis in hac civitate* 1744. 4. *Jan. sellam perforatam forte adscendens decidit in proximum ignem, graviter ambustus extrahitur; ilico vocati brachium sinistrum ab humero ad ungues rigidum, sphacelatumque intuemur. Pectus quoque vi ignis acerrime laesum conspicimus, brachium dextrum notabili Gangraena adfectum. Calamitosum hocce spectaculum siccis oculis nemo praesens vidit; nos sine mora cataplasma facultate emolliendi, leniendi, & corruptioni resistendi praeditum applicuimus. Continuato usu per vices renovando obtinemus separationem mortui a vivo, scilicet juxta humerum, pectus & brachium dextrum, quam emplastro indicato promovemus, vitam, usumque hujus brachii naturae indesinenter suppetias ferendo servamus sinistrum vero, cum vitam in eo vi ignis fere ex integro destructam advertimus, de humero servando cogitamus, itaque separationem debitis remediis maturandum judicamus, quod ex voto successit: cum* 7. *Jan. brachium perlustramus, instrumentis ad amputandum praesentibus, cataplasmatibus remotis, ulna cum radio sponte excidit, superstite osse humeri.* 24^to^. *præsentibus Clar. Domino Pla hujus urbis Medico felicissimo ac expertissimo, Ch. Chervais Th. Paschierse Chirurgis hujus urbis peritissimis, os inutile & noxium Pater meus resecat sine ulla haemorrhagia, applicata ligatura ulterius prospeximus, brachium dextrum in situ teneri, firmari jussimus; ab amputatione diu residuum os humeri dicti sinistri carne circumaccressente tegi, cicatrice obduci, infansque quo ad reliqua sibi restitui, quem satis laete postea in platea currere vidimus.*

*Alterum casum vidi in viro, qui equo rudius incedente scrotum compresserat, contusione haud diu post in veram Gangraenam conversa,* 17. *Jan. vocati progressum exquisitis auxiliis impedire conamur, externa membrana modo sphacelata cum parte penis itidem sphacelati decidit, integra adhuc tunica vaginali*

*ginali cum inclusis testibus. Circa redintegrationem, quantum fieri potuit, operosi fuimus, scopumque 18. hebdomadarum intervallo obtinuimus. De vita utriusque aegri procul dubio actum fuisset, nisi natura arte dextra adjuta fuisset.* Similis fere casus occurrit in Ephem. Nat. Cur. T. VII. obs. XII. p. m. 50.

*Plures ejusmodi casus possem adferre, qui tum in hac civitate per duo lustra oculis meis se obtulerunt, tum quos apud Fratrem meum Chirurgum in nosocomio Castrensi belgico (vulgo Majorem dictum) praeterita aestate videre mihi contigit; sed brevitati studens illos consulto omisi.* Ex propositis sequitur

Corollarium.

*Non Naturæ soli, nec Arti, sed utrisque conspirantibus fidendum & occurrendum malo nascenti.*

## §. XI.

## Causae Gangraenae.

Hae sunt *internae* vel *externae*, aut concursus utrarumque.

*Internae* ad paucas generaliores referri poterunt. Sunt,

1°. Vis vitae & morbi §. 3. N°. 1. & 2.

2°. Inflammatio vehemens non resoluta, nec suppurata cum acrimonia stagnantium, qua vascula continentia destruuntur, vide Heist. Chirurg. de Phlegmone.

3°. Scorbutus acerrimus, quo universum corpus in Gangraenam & Sphacelum converti potest, humor atrabilarius in toto aut parte. Gangraenam a cacochymia interna ortam in crure, inguine, aliisque locis prorumpentem debitis tamen auxiliis cardiacis superatam testatur Fred. Hofm. Casu CXXVI. Med. consult. pag. 383.

4°. Tumores Aneurismatici, Varicosi, Cancrosi, Oedematosi, fluida corrosiva, putrida continentes, aut mole sua canales subjectos comprimentes; sic tumor scirrhosus

ſus Venam cavam, ubi in iliacas abit, comprimens adſcenſum ſanguinis e cruribus redeuntis intercipiendo fatalis gangraenae in extremis incipientis, & ad vitalia adſcendentis aliquando cauſa fuit, ut in Comm. van Swieten ad Aph. 422., Colica flatulenta, foetus mole majores, aut numero plures ſitu, Cavam aut Iliacam comprimendo idem efficere poſſunt.

5°. Stagnationes fluidorum in cava corporis effuſorum, ſive illa ſint vitalia, ſana, ut ſanguis in vulneratis, aut Anaſtomoſi, Diaereſive effuſus, ut in Puerperis, mora, calore corruptus, ſive morboſa, ut pus, ichor in Abſceſſibus, Vomicis, ut in Empyicis, Aſciticis, aliisve Hydropicis.

6°. Caries oſſium, Ulcera ſanioſa, cancroſa, Ichor Cancri eo efficacior ad Gangraenam Sphacelumque procreandum, quo foetor intolerabilior, color viridior, magisve nigricans.

Hic mirabili metamorphoſi humores affluentes, Sanguinem, Serum, Lympham, Oleum, partes ipſas firmas in liquamen foetidum ex viridi nigricans adſpectu horrendum convertit, nec intra limites partis affectae ſubſiſtit, verum etiam effluvia peſtifera in corpus univerſum diffundit, quibus Gangraena Sphacelipara exoritur. In ejusmodi corruptelis prudentium Chirurgorum ſolertia artem oſtendit, humores affluentes aſſiduo temperando, educendo antiſeptica interne exhibendo, uſum acrium prohibendo, aut partem exſtirpando, ut naſcentem continuo cauſam intercipiant.

7°. Debilitas virium propellentium cum defectu vitalium fluidorum, coalitu vaſculorum minorum, majorumve. Duae ſunt cauſae, quibus canales minores pervii ſervantur, nempe I^a. vis Cordis & Arteriarum propellens. 2^da. ſufficiens copia fluidorum ſubtilium: alterutro vel utroque deficiente canales obrigeſcunt, concreſcuntque. Hoc obtinet in ſenibus, aut Junioribus morbo conſumente exhauſtis, ut influxus, effluxus, ſecretio, excretio, motus vitalis,

lis, renovatio in toto aut quadam corporis parte, quod non infrequens, tollatur, imprimis in membrana adipofa faltem origine tenus, quae loco blandi olei ferofis, putrefcentibus, putrefactisve infarcta confumitur. Haec cum mufculos & fibras involvit, natura pernicies, progreffus & fubfequens Sphacelus rerum gnaris ignota non erunt.

8°. Ultimus inediae effectus Gangraena, hujus Sphacelus, mors.

9°. Caufa incrementi & Gangraenae & Sphaceli proxima eft Gangraena & Sphacelus ipfe, minimis initiis ortus, quemadmodum fcintilla neglecta in fubjecto facile combuftili eft caufa futuri incendii, vires enim acquirit eundo. Hinc Medicos & Chirurgos in morbis acutis, chronicisve adeo attentos & circumfpectos reddit, ut modo N°. 6. dictum.

## §. XII.

Caufae externae itidem compendio recenfendae veniunt.

1°. Frigus perfpirationem fufflaminans, fanguinem in vafis cutaneis cogens, ut fupra §. 10. exemplo patuit, fi acerrimum fuerit, ad offa usque, ipfaque fluida in offibus contenta congelat; eadem fiquidem fanguinis humani eft natura, ut infra gradum caloris 90. Therm. Farnh. coaguletur, fi tale coagulum in vafis obtinere poteft, (quod ob motum circulatorium & calidioris fucceffionem nifi enormi frigore accidit), aqua pura citius conglaciatur: hinc tot exempla, ubi digiti, manus integrae, nafus, aures, pedesque calore incaute admoto ceciderint, vera Gangraena, Sphacelofa nativam cohaefionem folvente. Ipfum frigus quidem Gangraenam non efficit, modo coagulat, congelat, (congelata per faecula immutabilia perfiftere poffunt, modo aëris acceffus arceatur). At calor folvens nimis cito fuccedens illud coagulum conglaciatum, folvendo, rarefaciendo, vafa difrumpit, effufa putrefacit, antequam circulum obire, vafis a tergo nondum apertis, poffit, quod patet

tet immersione partis congelatae in aqua glaciali, nam tum per gradus fit solutio, insecta congelata, si subito regelascit, pereunt, si lente vita in actum reducitur: hinc una aestate plura insecta ac alia, ex quibus salubritas, & insalubritas aëris forte magnam partem dependet. Caetera frigoris effecta Gangraenam post se trahentia vid. Inst. Boerhav. §. 747. Quem effectum in pulmonibus frigus acerrimum producere valeat, dum glacialis aër vel ventus celeri motu affatim per Asperam arteriam in ipsos labitur, vicinitas sanguinis aëri fere expositi, arteriae, venae, nervi, vesiculas aëriferas uberrime percurrentes intelligenti palam faciunt. Nonnunquam lene frigus calenti corpori media aestate applicatum citissime Gangraenam Sphacelumque mortiferum producit, ut in fine §. 12. exemplo ex De La Motte vidimus, & casu alio in puella ardentissima febre laborante in fervida aestate gelidae aqua manus immergentis confirmatum habemus: hinc dictum Celsi L. I. Cap. 9. calor adjuvat omnia, quae frigus infestat, generale non est.

2°. Exercitia corporis validissima in aëre calido protracta deficiente potu fluida dissipata restituente, & causis attritus sese interponente, viscera imo totum corpus Gangraena & Sphacelo afficere possunt. Solus calor externus in loco ultra centum gradus calido idem efficit, uti in Chem. Boerhav. experimento in cane hypocausto incluso innotuit. Omne animal in dicto calore brevi temporis intervallo vivum putrescit. Fabulam de Salamandro in igne vivente nil moror, Entia realia, ut Reymundi Lulli verbis utar, venaturus.

3°. Cibi & potus corrupti, putrefacti, medicamenta & venena septica introsumpta. Gangraenam lethalem ab helleboro albo mulieri juveni exhibito testatur Rivalier apud Manget. Bibl. Chir. pag. 277.

A corruptis secales granis urgente annona in Galliis pauperes Gangraena sicca, nigra, livida correptos refert van Swieten Aph. 425. pag. 753. Exempla. V. Nat. Cur. T. VII. p. 118.

4°. Com-

4°. Compressio a quacunque causa, ut ligatura nimis stricta, quae venas subjectas comprimendo humorum per has refluxum suffocat, dum interim per arterias non adeo ob situm & elaterem, quo prae venis gaudent, compressiles sanguis ad exteriora fertur: unde tumores ab errore loci, stagnatio congestorum, corruptio stagnantium, erosio, destructio continentium, mors. Conf. Heist. Chirurg. Cap. de Fract. pag. 179. par. 34. Boerh. Aph. 389. 390.

Subligacula per noctem non resoluta spatio unius noctis juveni Gangraenam lethalem caussata fuere, uti videre est in Comm. ad Aph. 422. Hinc in ligandis fracturis prudentes Chirurgi quamcircumspectissime attendunt, an partes infra ligaturam intumescere, calere, rubere, obstupefieri, aliaque Gangraenae imminentis phoenomena apparere, quibus signis Gangraenam in procinctu esse edocti ligaturas exemplo solvunt, aut laxant, itaque motum & vitam libertati restituunt, ea tamen lege, ut vinctura neque nimis laxa, neque nimis stricta sit, sed mediocriter fasciae inhaerescant, ossaque reposita in situ retineant. Justa vinctura, uti in fracturis, aliisque laesionibus primarium remedium est, ita nimis stricta mortem parti inducit, justa vero ipso opere saepe repetito citius, quam ex libris addiscitur, uti Patrem meum tyronibus suis semper inculcare, eosque opere ipso coram docere vidi. Suspiciendum hic monitum expertissimi Heisteri L. C. par. 38. Huc pertinent contusiones graviores spinae dorsi, aliarumque partium, per quas nervi insigniores decurrunt, item decubitus diuturnus in unam partem imprimis in macilentis, siccioribus, debilibus, cacochymicis. Hinc Medici, dum Phreniticis, Soporosis, Apoplecticis decubitum erecto trunco imperant, aut dum morbus necessitatem decubitus in unam partem ponit, mollissima coreacea, aut alia elastica corio molli obducta parti illi supponunt, aut reliquam corporis molem loris quasi suspensam tenent, & quantum fieri potest, situm alternatim mutare jubent, ut congestio praecaveatur, & stagnare incipientia in actum deducantur.

Nisi haec fiant in partibus pressis Gangraena mox aderit Sphacelo pedissequo. Cautelam hanc in Chirurgicis magni quoque momenti esse expertus assero, eamque Hippocrates ipse inculcat, dum praecipit, recordandum esse, quod loca illa in eodem situ longo tempore jacentia excoriationes curatu difficillimas faciant. Hipp. de Fracturis.

Partus difficilis, abortus & extractio foetus mortui ope instrumentorum lethalis Gangraenae causae esse solent, ratione hæmorrhagiae & contusionis quas inferunt. Hinc periti Embriulci omne fere genus instrumentorum damnant, ubi exercitata manus, instrumentorum in hoc negotio princeps, sufficit. Ipsa autem Gangraena vel in utero ipso aut vagina haeret, illa ut plurimum desperata, haec continuo partibus mortuis praecisis, vivis mundatis, ablutis aliquando curata legitur.

5°. Ictus venenatorum animalium, quorum pernix saepe adeo malignitas, ut paucis horis Gangraenam omnes partes depascentem inducat, quemadmodum scite describit Lucanus, quorum versus in Comm. van Swieten ad Aph. 1. 5. leguntur, cum propriam experientiam horum mirabilium & ratiociniis superiorum effectuum non habeam, quoque versus hos ob graphicam energiam a nobis dicta confirmantem, sistere visum est. Venenatissimi serpentis, cui Seps nomen, qui militem, dum Cato exercitum per Lybiae deserta duceret, parvo tantum vulnere in crure laeserat, atque statim

*—— —— —— Plaga proxima circum*
*Fugit rapta cutis, pallentiaque ossa retexit.*
*Jamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus,*
*Membra natant sanie, surae fluxere, sine ullo*
*Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis*
*Linquitur, & nigra destillant inguina tabe. &c.*

*—— —— —— —— —— Omne*
*Quidquid homo est, aperit pestis, natura profana.*

*Mor-*

*Morte patet, manant humeri, fortesque lacerti:*
*Colla, caputque fluunt. Calido non ocyus Austro*
*Nix resoluta cadit, nec solem cera sequetur.*
*Parva loquor, corpus sanie stillasse perustum*
*Hoc & flamma potest, sed quis rogus abstulit ossa?*
*Haec quoque discedunt, putresque secuta medullas*
*Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.*
*Cyniphias inter pestes tibi palma nocendi est:*
*Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.*

## §. XIII.

### Signa Gangraenae.

Cum signa fere tantum sunt effecta causarum, imo causae ipsae, tum antecedentes, tum praesentes, illae quatenus partes Gangraenae suscipiendae aptas faciunt, hae quatenus natam augent, ut §. 12. satis dictum, ex data Aetiologia facile noscitur, an Gangraena, Sphacelusve adsit, an immineat.

De praesentia ejus dubitandum non est, si inflammatione vehemente praegressa, aut debilitate, refrigeratione corporis aestuantis, frigore glaciali in nudum corpus admisso, & similibus recensitis sequentia adsunt phoenomena.

1°. Sensus hebes, stupor, vel doloris acuti subita imminutio sine signis resolutionis partis inflammatae, aut alia de causa dolentis.

2°. Color pallidior, cinereus, fuscus, lividus, niger: hisce colorum differentiis ordine sibi succedentibus vita jam per gradus imminuta in mortem tendit. Nil obstat dictum magni Hippocratis de Fracturis, in extremis manuum, pedumve colorem lividum nigro pejorem esse. Prudenter enim addit alia signa itidem perpendenda esse, quod ipsi in omnibus prognosticis familiare, non agit hic loci de successione, verum de eventu, de quo infra dicetur.

 3°. Mol-

3°. Mollities, flacciditas ad tactus vestigia non resurgens. Haec duo phoenomena, si Gangraenae praesentis indicia, maxime obtinent in partibus carnosis crassioribus, inflammatis, exigua enim mollities, aut flacciditas in superficie ossi fere contigua, ut in crure, sterno senum. Neque in omni flacciditate ad tactus vestigia non resurgente adest Gangraena, ut in multis tumoribus oedematosis, addeoque juxta praeceptum Hipp. mox allegatum in diagnosi procedendum est, ut ex pluribus inter se comparatis unum signum pathognomicum resultet.

4. Pustulae ichore lymphatico, subflavo vel rubello plenae in loco inflammato, item circa ulcera, vulnera, imprimis globis sclopetariis inflicta, quae vulnerando simul contundunt. Ob pessima, quae accidere solent symptomata inter viros eruditos praeteriti seculi disputatum fuit, an venenatum quid ex igne sulphureo & aëre secum rapiant, vulnerique communicent. Quae dubia, innotescente partium fabrica, & vita, evanuere. Sanandi prae aliis vulneribus laborem Frater meus in Brabantia in pluribus vulneratis expertus copiam multorum casuum mihi fecit.

5°. Pustulae inflammatoriae, fuscae nigrae, ut Variolae malignae cum punctulis rubris per interstitia sparsim conspicuis Gangraenam de vita jam jam moriente triumphare indicant.

6°. Velox incrementum corruptionis natae in parte extrema cum imminuta vel abolita sensilitate, foetore olido inter praecipua signa in Chirurgicis habentur, ejusmodi saepe occurrunt in Scorbuto acerrimo, putrido, gingivas erodente, maculas fuscas, nigras, pustulas, ulcera foetida serpentia in variis partibus producente, ut supra monitum.

## §. XIV.

Quamquam signa dicta externa Mêdicum de Gangraena prae-

praesente certiorem faciant, accidit nihilominus interdum, ut sine ullis signis sensus incurrentibus occulta subsit Gangraena causas vitae depascens, qua in Sphacelum degenerante aeger exstinguitur, causa non nisi post mortem in cadavere aperto obvia, ex qua cognita tandem antecedens in futuram ex Analogia investigatur, sic saepe intestina ab acido in infantibus erosa, inflammata, in Gangraenam versa, quae & in pueris a vermibus contingunt, Anatomica inspectio fidem facit, ut ex prognosticis Boerhav. Aph. 432. Gangraena cerebri, viscerum, vesicae, lethalis, & in acutis cita mortis, partibus majoribus vix apparentibus laesis, causa.

## §. XV.

Ejusmodi occultae gangraenae in febribus pestilentialibus, vomicis viscerum majoribus non raro citius interficiunt, quam signis se prodant.

## §. XVI.

Signa Sphaceli praesentis est omnis sensilitas abolita in parte fusca, nigra, molli, flaccida, foetida, putrida, motus omnis vitalis abolitus, spontaneus secessus partium, uti Lucanus describit, aut saltem omnis nativa cohaesio solvitur aut ariditas, fuscedo, nigredo, foetor, frigus &c. Conf. allegata (par. 11.) exempla.

## §. XVII.

## Prognosis.

De eventu vix dicendum superest, quippe ex §. 3. & Aetiologia, item ex signis diagnosticis facile colligendus, sive interne Gangraena aut Sphacelus haeserit, sive partes externas occupaverit, paucis prognosin absolvemus.

§. XVIII.

## §. XVIII.

Si causa vitae §. 4. partis, Gangraena affectae est major, morte in ea jam simul praesente, indicata remedia tempestive in rectum usum vocata spem salutis faciunt, dico tempestive, ob perniciffimam nocendi facultatem, remedium efficax nunc, paucis momentis post iners. Vide supra, coeterum modum, quo causa vitae praevalet, eleganter Galenus exprimit. " Oritur mixta quaedam sanguinis mutatio, partim quidem ab ea, quae praeter naturam, partim quidem ab illa, quae secundum naturam causa est, quarum ut illa quae praeter naturam causa est, putrefacit, sic illa, quae secundum naturam est causa concoquit, earum vero utravis praevaluerit protinus, indicia tum in colore, tum in odore, tum in consistentia necessario sequuntur. Quibus scite indicat, omnes mutationes in morbis contingentes principio vitali ceu uni causæ efficienti adscribendas non esse.

## §. XIX.

Si causae vitae & mortis numero & viribus existunt pares, praesagitur discrimen, mors integra, Sphacelus, hic eo magis formidabilis, quo vita magis ultra Aequilibrium imminuta, magnitudo siquidem periculi spectatur excessu magno, quo causa morbi exsuperat causam vitae, virtus autem causae, qua vita adhuc durat, cognoscitur ex qualibet functione superstite, laesione, aut abolitione ejusdem, item ex qualitate plus minus mutata, eo magis imminuitur vita, quo magis canales abolentur, hinc dolor auctus, vel sensilitas acuta mutatur in obtusam per gradus ad perfectam anaestesiam usque, ut ex Semioticis datis patuit.

§. XX.

## §. XX.

Gangraenae partium internarum inflammationibus ſuccedentis ut plurimum infrenes ſunt, prae caeteris viſcerum, membranarum nervoſarum, niſi admodum leves fuerint, in mortem tendere obſervantur, ſigna prognoſtica Boerhav. paucis ſiſtit.

## §. XXI.

*Cauſa, pars affecta, profunditas, velocitas, natura aegri, ſymptomata inflammationis collata cum ſignis, effectibusque prognoſin abſolvunt.* Quot vocabula, tot pondera. Omnia, quae hucusque dicta in iis continentur. Vocabulo *cauſa* intelligendae veniunt vires vitae & morbi, adeoque totam Phyſiologiam & Aitiologiam Pathologicam ſupponunt, haec omnia itidem in reliquis, niſi quis partium affectarum indolem, ſitum, uſum noverit, ratione phyſica nil praeſagire, ſed tantum quid ex arbitrio divinare poteſt, quatenus hunc illumve eventum obſervaverit. *Ingens diſcrimen, vera praeſagia exigit* Aph. 430.

## §. XXII.

Gangraenam oris interni, labiorum, buccarum, linguae, narium, genitalium curatu difficilem ſcribit Boerh. Aph. 432. Conſideratio Anatomica partium affectarum ſanandi laborem, periculumque clarius exponit, quam mille ratiocinia ab experientiis deſumta. Alias partes externas cutis, veſtisque defendit, hae tenui cuticula intermedia aëri ſunt expoſitae, celerrimo ejus tranſitu exſiccantur, ut licet ingens a natura huc determinatus humorum affluxus in glandulis ſalivalibus, arteriis exhalantibus, qui collecti ſalivam conſtituunt, eas contra ſiccitatem tueri nequeat. Quodſi humores hi affluentes ſcorbutica labe infecti, magis

ab aëre corrumpuntur, & teneram subjectam substantiam corrodunt, 1°. Mucus ob acrimoniam in membrana Schneideriana secerni impeditur, corruptionis initium facit, hinc scribit van Swieten in Comm. ad hunc Aph. frequens satis in his regionibus malum, & aliquando epidemicorum morborum more plures simul affligens, imprimis illos, quibus acris scorbutica Cacochymia adest, uti dictum fuit in Comm. §. 423. nascitur primo in buccarum interiori parte, gingivis, labiis, lingua, tonsillis &c. levis rubedo parum dolens, & major calor, paulo post medium illius loci stigma album occupat, quod saepe fallit Chirurgos, qui suppurationem futuram inde putant. 2°. Dolor tunc augetur, maxime in illo loco, ubi album illud stigma haeret, uti & in ejus marginibus, qui tunc ruberrimi apparent. Profundius exeditur porro ille locus, & totum illud album, quod nil est nisi vera eschara gangraenosa, cadit, si levius malum fuerit & in adultis; si vero major adfuerit malignitas, praecipue in juniori aetate, ubi omnia molliora sunt, proserpit malum, & alba illa macula quaquaversum in omni ambitu dispergitur: simul tunc putridissimus halitus ore exit, & perpetuum olidissimae salivae stillicidium; & nisi subita & efficax adhibeatur medela, exedit, depraedatur omnia.

## §. XXIII.

Eadem de Sphacelo dicenda. Subjectum, Aetas, Tempestas, Atmosphaera singularis ad prognosin sui conferunt, in subjecto sano minus metuendum, quam in Cacochymico, in pueris corruptio facilior ob humidi copiam; in media aetate vehementior ob aequilibrium inter fluida & solida; in senibus lentior, at mortifera ob fluidorum vitalium inopiam & effoetas vires vitae. Vitae fatiscentis debilitas in plerisque septuaginta annis majoribus obtinet, licet in quibusdam vegetioribus extremorum Gangraenae fomentis & cardiacis subinde curentur, uti videre est in Actis Edinbur-

gen-

gensibus Tom. 3. pag. 31. & 36. edit. Amst. ubi ope Cort. Peruv. Gangraena pedis sinistri in viro 76. annorum intercepta & curata legitur, verum casus hi rariores. Quae in inflammatis succedit, pejor tempore aestivo, quam verno, & sic de aliis. Senibus in extremis Sphacelatis hyems utplurimum exitialis, tepore enim vernali cardiacis facilius motus restaurari potest, verum haec omnia futurae praxi servanda praetermitto.

## §. XXIV.

### Curatio Gangraenae.

Curatio juxta generalia Therapeutices praecepta procedit. Quorum primum est, servare vitam, secundum tollere causas, tertium ipsum morbum, quartum symptomata. Indicationes speciales variant pro diversitate causarum & partium affectarum, imo & gradus Gangraenae ipsius.

## §. XXV.

Gangraenae internae vel oriuntur ab inflammatione, vel a cacochymia, vel a defectu virium vitalium. Quae ab inflammatione oriuntur, cum fere semper in mortem desinant, praeter generalia antiseptica nil dicam. Cacochymia vero indicat contraria, quibus corrigi, mutari, iners reddi, eliminarique possit, cum plerumque putrida sit acescentia, ipsa acida in usum vocanda.

Ejusmodi sunt decocta frumentacea, dilutiora, ut avenae, hordei &c. cerevisia tenuis, serum lactis, lac ebutyratum, juscula carnis vitulinae, dempto pingui & admixto succo citri, cremore tartari, ut putredo praecaveatur, calore febrili facile nascitura. Huc faciunt quoque fructus acidi, pulpa pomorum acido dulcium, tamarind. rob sambuci, ribesiorum, berberum, succus aurant. citri, Spiritus salis, sulphuris, vitrioli, vel sinceri ad paucas

cas guttas decoctis admixti, vel alcohole edulcorati. Decoctum ex rad. gram., fcorz., acetof., bard., ʃ rad. ap., addito vino Rhenano.

§. XXVI.

Gangraena a virium defectu Cardiaca & Analeptica exigit. Omne fere genus praefidiorum eft in jufculis carnis juniorum animalium, imprimis volatilium, cum ovis, pane bifcocto, vino generofo, interpofitis mixturis, ex aqua cinamomi, citri, menthae, meliffae, majoran. rutae, falviae, vitae Matthioli, addito fyrupo menthae, corticum citri, artemifiae; item pulvere Cort. Peruv. de quo fupra §. 23. & ejusmodi emplaftra aromatica, aut potius fomenta ex fpiritu vini camphorato vel Theriacali in locis externis, ubi fe prodit, apponenda. Aër fit temperatus. Quibus omnibus nihil proficientibus finem imponit Sphacelus.

§. XXVII.

Princeps remedium in Gangraena externa inflammatoria eft fcarificatio, vulnufcula haec inflicta triplex beneficium conferunt. 1°. alliciunt vitalium fanorum affluxum, quo praefens putredo quodammodo corrigitur. 2°. praebent putrido exitum. 3°. liquidis condientibus applicatis ingreffum, haec funt cataplafmata ex floribus camomill. fambuci, melilot., foliis fcordii, abrotani, marrubii, abfinth., parietariae, rutae, &c. quae aquae, vino, aceto incoqui posfint, tum ab igne remotis & refrigeratis fpiritus vini camphoratus, vel theriacalis, Matricalis, Tinctura myrrhae, Sal armoniacus addatur. Haec infigni vi antifeptica gaudent & ad fuppurationem difponunt. Effectu quoque probata eft aqua marina, cui abfinthium incoctum, Gangraenas proferpentes & cutim depraedantes ejus ope perfanatas fuiffe, Auctor & teftis eft Thom. Bartholinus. Nec ob-

obſcura eſt ratio, pollet enim ejusmodi fomentum vi minimos canales penetrandi & nervos modice ſtimulandi. Unde aceſſentiã modico ſale condita in gangraenis ſcorbuticis ad condiendos humores labe putrida infectas probantur. Salem vero aqua ſolutum vaſa lactea ingredi non tantum analyſi urinae Chemicis conſtat, verum & lac nutricis nimio ſale utentis id evincit. Juxta Virgil. Georg. L. 3. V. 393. ubi inter cauſas lactis copiam augentes ſalem, ortam inde ſitim & potum ponit.

*At cui lactis amor, cythiſum lotosque frequentes*
*Ipſe manu ſalſasque ferat praeſepibus herbas.*
*Hinc & amant fluvios magis, & magis ubera tendunt,*
*Et ſalis occultum referunt in lacte ſaporem.*

Plura in dicta gangraenae ſpecie extemplo concinnari poſſunt, abſtinendum a putrefacientibus, ut Spiritus C. C. niſi forte limite poſito eſchara ſit promovenda, tum uſus putrefacientium ſpernendus non eſt. Sic cataplaſma ex pomis putridis, ficubus putrefactis coctione & proprio ſucco in formam cataplaſmatis redactis eſcharam & ſeparationem verſus fundum promoveri aſſerunt experti. Huc pertinent cauteria actualia momento temporis eſcharam inducentia, at nomine eorum aegris terrorem incutiunt, mitioribus nunc temporis cognitis fere in deſuetudinem abierunt. Vid. Chir. Heiſt. C. 14. §. 14. de Gangraena & Sphacelo: loco eorum in uſum vocantur corroſiva liquida, ut ſpiritus acidi minerales, quae partes vivas mortuis inhaerentes quidem deſtruunt, hacque ratione vivis inimica, at virtute ſimul antiſeptica putredinem praeſentem corrigunt, futuram avertunt ſummum vitae conſervandae auxilium conferendo. Ejusmodi ſunt Spir. Salis concentratus - Sulphuris - nitri - vitrioli; ipſis putrefacientibus longe praeferendi. Diſtinguendum autem hic circumſpectiſſime, num ad os uſque gangraena, quod in partibus quibusdam facile contingit, ubi cuti fere ſubjacent, pan-

nis interpositis, ut in tibia &c. In casibus acida dicta, nocentissima, cito substantiam ossis destructura, adeoque potius alcalicis utimur, quibus ossa tam cito non destruuntur. In carie gangraenosa, ut semper est, pulvis Euphorbii se commendat, quod vero separatum est, una cum eschara cito tollendum, ne partes vivae suffocentur. Spasmi effrenes gangraenae supervenientes balneo vaporoso cedunt. Sic vapore fumi in stabulo boum aegrum convulsum restituit Paraeus. Vid. Comm. van Swieten: Aph. 830.

*Ut variant morbi, pariter variabimus artes.*

## §. XXVIII.

Dictis remediis tantum efficimus, ut incrementum putredinis intercipiatur, praesens corrigatur, vita ipsa ad opus suum (haec princeps causa curans per remedia morbos) generose perficiendum erigatur, incitetur, languida reficiatur, gangraenae vires infringantur, nascenti putredini exitus concilietur, quibus tempestive adhibitis gangraenae externae, nisi desperatae, superantur. Cum partes internae Chirurgo sint inaccessae, tenerae, debilius cohaerentes, facilius destructiles; gangraena semel nata cito increscens; natura licet separationem moliatur, eliminare tamen non possit, itaque continuo causam mortiferam adaugeat, patet discrimen & sanandi difficultas. Exigua vero & superficialis in corpore Euchymo remediis internis supra propositis quandoque auscultat.

## §. XXIX.

Dum his omnibus in cassum adhibitis pars mortua a vivo instrumentis quandoque separanda, cujus indicia sunt partis insensilitas, nigredo, foetor, frigus.

An vero arti locus sit, cautissime pronunciandum, eventusque tam sphaceli sibi relicti, quam artis instrumentis

tis tractati non perfunctorie, sed cunctanter & circumspecte in parte affecta, magnitudine corruptionis, conditione vitae superstitis, seu subjecti conditione praedicendus, inito quidem consilio cum Medicis Chirurgisque longa experientia confirmatis, quemadmodum severe inculcat praelaudatus Heister. in sua Chirurg. L. C. XV. & Hipp. inter praeceptiones suas haec habet.

*Neque sane indecorum fuerit, si Medicus in rei praesentis angustia circa aegrum versatur, imperitie etiam tenebris circumfusus, alios quoque arcessi jubeat, quo communi consilio, quae in re aegri sunt disquirantur, & illi ad praesidiorum facultatem operas suas conferant. Ubi enim assiduo urget affectio, morbusque increscit, plurima in animi angustia ad rem praesentem elabuntur.*

Imprimis si metus mortis major, quam spes salutis, (prudentis enim, inquit Celsus L. 5. Cap. 26. Eum, qui servari non potest, non attingere, ne videatur occidisse, quem sors ipsius (immedicabilis vis morbi) interemit: deinde ubi gravis metus est sine certa tamen desperatione indicare oportet periclitantis in difficili rem esse, ne, si victa ars malo fuerit, vel ignorasse vel fefellisse videamur. Sed uti haec prudenti viro conveniunt, sic rursus histrionis est parvam rem attollere, quo plus praestitisse videatur: uti veram prognosin fama gloriosa, ita falsam contemptus sequitur. Contingit nonnunquam, ut aeger pro desperato habitus beneficio naturae mortuum a vivo separantis, quoad reliqua servetur, sanitatemque consequatur, e contrario observationes docent, aegrum periisse, cum in curatione spes posita esset. Quemadmodum variis confirmatur in Comm. van Swieten in Aph. Boerh. praecipue §. 432. 459. 467. 433. Ubi casus stupendi recensentur. Conferantur dicta superius §. 18. ad 23. Duplex igitur sagacitas in Medico Chirurgo, ut verbis Vander Linden utar, altera, quae auxilium invenit ex certa notitia indicantis, altera, quae exitum praevidet ope artis.

§. XXX.

## §. XXX.

Operationes Chirurgicas quod attinet, eas hic recensere nimis longum foret, variant enim 1°. ratione partium, adeoque instrumentorum & vincturae. 2. Subjecti quo ad temperiem, vitae genus, animi magnitudinem, statum, promptius iis succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis est libertas Cels. L. 3. C. 21. Et facilius sanescit puer vel adolescens, quam senior, valens, quam infirmus, neque nimis tenuis neque plenus, quam si alterum ex his est, integri habitus quam corrupti, exercitatus quam iners, sobrius & temperatus, quam vino, venerique deditus. Vid. L. 5. C. 26.

3°. Differt respectu causarum, quarum frequentiores sunt contusiones, tumores ab effusis, rupturae, luxationes, fracturae &c. Quae omnia propositi limites excederent. Praeterea tam operose & circumspecte in praestantium Chirurgorum libris operationes sunt descriptae, tot experientiis, exemplis confirmatae, ut nil novi adferendum habeam. Accedit, quod Chirurgia sit scientia, quae majorem partem ipso opere addiscitur, citra quod nemo, quantumvis firmi animi sit, manu intrepida instrumenta teneat, & firma oculorum acie partem secandam intueatur, habitus operandi rem perficit, inexercitatus metu semper agitur, ubi vero aeger Chirurgum anxium advertit, eum consilio destitui existimat, de sua salute diffidere, artificem, ignem, ferrum, imo mollia ipsa metuere. Juxta Ovid. 2. de Ponto.

*Membra reformidant, mollem quoque saucia tactum,*
*Vanaque solicitis excitat umbra metum.*

Sunt in arte, inquit Galenus, quae nec dici nec scribi possunt, sed longo usu, & quantum fieri potest a teneris comparanda, juxta praeceptum Celsi: *Esse Chirurgus debet adolescens aut certe adolescentiae propior manu strenua, stabili*

*ſtabili nec unquam tremiſcente, eaque non minus ſiniſtra, quam dextra promptus, acie oculorum acri, claraque, animo intrepido, immiſericors, ſic ut ſanari velit, quem accipit, non ut clamore ejus motus, vel magis quam res deſiderat, properet, vel minus quam neceſſe eſt, ſecet, perinde faciet omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.* L. 7. praef.

Ex his omnibus patet, praeſtantiſſima illa Chirurgorum opera ſolis Chirurgis ſcripta eſſe, quemadmodum inſtrumenta ſolis Chirurgis parata, quibus nemo uti alius novit; hi ſoli inquam intelligunt uſum, atque utilitatem inſtrumentorum, de opere ipſo expediendo mihi ſermo eſt. Fateor, theoreticis ea inſervire ad pericula quodammodo praedicenda, & illorum eventum ex cognita morbi natura determinandum, verum opus ipſum, ipſo niſi opere edocti fuerint, non ſuſcipiunt, ſed Chirurgis ultra committunt, quae cum ita ſint de Operationibus ipſis, quae manum, ferrum, & ignem requirunt, nil dicam.

*Quos Natura modos oſtenderit, arte ſequemur.*
*Et quos ars docuit, conſulta imitabimur arte.*

FINIS.

# IN LAUDEM

Doctissimi Atque Ornatissimi Viri Juvenis

# ADRIANI DICTEN.

*CUM MEDICORUM ALBO INSCRIBERETUR.*

Candide DICTE, mihi semper Dilecte sodalis
  Non minus, ac fratri, frater amate mihi!
Jussit amor, magno Doctori fundere Cantum
  Laetitiaeque meae publica signa dare;
Scire cupis causam, cur te mea Musa tenetur
  Tergeminis semper concelebrare sonis?
In promptu causa est, praeclara scientia vestra,
  Doctor amice, sibi praemia digna petit,
Praemia digna petit, cum sis praeclarus in arte
  Hippocratis magni, Vulneribusque medens;
Judicium, ingeniumque tuum celebrare camenâ,
  Ingeniumque mihi, judiciumque deest.
Hippocratis studium conjungis arte Chironis,
  Certior, ut doceas, quae penetranda via.
Sic es Boerhavi magni praecepta secutus,
  Qui curare prius vulnera saeva docet.
Filius es Medicus Chirurgi insignis in Urbe,
  Hunc Ars commendat, te Medicina sagax.

Sic

Sic peperit Galenus opes, Galenus honores,
   Dantur doctrinae praemia digna tuae.
Quam multi miſeri rapiendi faucibus Orci
   Erepti gaudent dexteritate tua?
Idcirco nomen magnum, laudesque manebunt,
   Quas livor rabido rodere dente nequit.
Denique jam liceat voto ſubjungere Votum
   Optans, exoptans aurea ſaecla Tibi.
Tempora mutentur, nos non mutemur in illis,
   Quomodo? ſit ſemper pectore fixus amor.

*Iſta in ſignum amicitiae perpetuae*
*canere geſtivit*

ANDREAS RUGEMER.

*Art. LL. & Philoſophiae Magiſter,*
*Medicinae Licentiatus.*

TER INWYDINGE

Van den HEERE

# ADRIANUS DICTEN.

Tot der Medicynen Doctor.

*Sic itur ad astra.*

Hy is geen antwoord waard, die stout genoeg durft vragen,
Hoe! zie ik de eerekroon, den naarstigen belooft,
Alree van Pallas zelf geplaast op DICTENS hooft?
Daar gy, myn vriënt, vast volgt het voetspoor uwer mägen.

Gelyk uw Vaders lof alom wordt omgedragen,
Gelyk uw Broeders vlyt ons hoop geeft, dat de Faam
Hem vroeg vermelden zal: hoor men van uwen naam
Eerlang met groten lof (dit is myn wensch) gewagen.

In weerwil van de Nydt (ach hielp myn herte wensch!)
Geniet gy meer geluk, dan ooit aan eenig mensch
Op aardt vergunt wierdt: Godt 't aanbid'lyk Opperwezen

Rekk' lang uw levensdraat, die zy uw rechtehandt
In alle uw pogingen, dan roept elk door ons landt:
't Is DICTEN, die (met Godt) den zieken kan genezen.

*Ex animo non arte raptim*
*Cecinit*

LUDOVICUS KLUYT.
*S. S. Theol. Stud.*

Leiden den 24. Augusti.
1747.